Dissertationum Germanicarum

T. VII.

De Matrim. Dote et Re uxoria

P. III.

Elenchus Auctorum

I. Lampo | Io. Christiani | De Cura Maritali. Ienae. 1750.
II. Weidlichij | M. Christiani Gottofredi | De Aequaestu Uxarum. Lipsiae. 1741.
III. Strykij | Samuelij | de jure Uxoris in Bona Mariti. Ienae. 1745.
IV. Albrecht | Ioan. Trau-Gott. | De Aere alieno uxoris vivae ex Dote omnium Bonorum ex Solvendo; ad L. 72. ff. de jure Dotium. Vitembergae. 1743.
V. Graete | Caroli. | De Intercessione Viduae pro Marito mortuo. Rintelij. 1738.
VI. Eigermmann | Andreae | De Successione Superstitis Conjugis pauperis. ad Auth. praeterea C. unde Vir, et Uxor. Vitembergae. 1751.

[illegible]

Digitized by Google

DE
CVRA MARITALI,

GERMANIS:

Von
Der Ehelichen Vormundschafft.

IN CELEBEBERRIMA VNIVERSITATE HIERANA

PRAESIDE

Dn. ERNESTO TENZELIO,

ICTO FAMIGERATISSIMO,
CONSILIARIO REGIMINIS ELECTORALIS MOGVNTINI,
IVDICII PROVINCIALIS ASSESSORE, CONSV-
LE CIVITATIS PRIMARIO, ITEMQVE
ORDINIS SVI DECANO,

PRO

GRADV DOCTORALI

LEGITIME CONSEQVENDO,

DIE XII. FEBR. ANNO CIↃ IↃ CC XX.

DISPVTAVIT

IOANN. CHRISTIANVS LAMPE,

LIPSIENSIS.

IENAE,
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1750.

I. N. D. N. I. C.

O*mnino conatus eorum commendandi ſunt, qui in materiis* Juris Patrii *exponendis deſudant. Quamvis enim illis non ſuffrager, qui Jura Quiritum è Foris Germanicis prorſus eliminanda cenſent; Quoniam tamen iſtorum uſus in Territoriis Teutonicis tantummodo ſubſidiarius eſt, adeo ut in controverſiis dirimendis primum omnium attendenda veniant Jura Germanica. Inde majore quoque Cura ac ſtudio eadem excoli atque tractari fas erit. Ad Leges vero domeſticas pertinere Jura Saxonica, nemo diffitebitur. Interim errorem errant maximum, qui nuda duntaxat conſvetudinis nomine Jura* Saxonum *venire,*

eaque ratione interpretanda credunt, ut illa minime Juri communi adversentur. Enimvero hanc rem amplius persequi supervacua fuerit opera, quandoquidem quamplurimos, eosque eruditionis consummatissima viros, circa hoc argumentum occupatos fuisse, deprehendes. De cetero vitio mihi versum iri non arbitror, quod, dum summas Jurium dignitates adipisci cordi est, tale Thema selegerim, cujus explicatio ex Jure Patrio peti debet. Equidem non inficias eo, illud ea, qua par erat, industria me non elaborasse, nimiæque brevitati litasse; Ast si diligentius quis expenderit, quæ de Cura Maritali *scitu necessaria sunt, ea plerosque vix tribus verbis attigisse; Aliquos insuper ex principiis peregrinis deduxisse, procul dubio ausus benigniore censura dignos judicabit. Quod superest, Benevolo Lectori me etiam atque etiam commendatum cupio.*

Scribeb. Lipsiæ.

AVCTOR.

DE

DE CVRA MARITALI,

Von der Ehelichen Vormundschafft,

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA.

SVMMARIA.

Cura maritalis, quid sit, §. 1.
Quomodo alias appelletur, §. 2.
Curatores legitimi, an à judice confirmandi, §. 3
Vox Juris exponitur, §. 4.
Quibus Cura conjugalis competat, §. 5.
An Sponsis? §. 6.
An maritis indistinctè? §. 7.
In Saxonia mariti plerumque sunt à patria potestate liberati, §. 8.
An minor conjux sit uxoris curator ex lege, §. 9.
Objectio, §. 10.
Confutatio, §. 11.
Consilium, §. 12.
Nec perpetuis carceribus mancipati à Cura connub. sunt arcendi, §. 13.
Ratio expromitur, §. 14.

Condemnatis ad triremes maritis illa negatur, §. 15.

Mariti Curatores fiunt legitimi confestim post nuptias, §. 16.

Probatur, §. 17.

Non demum post thori conjugalis ingress. §. 18.

Quo utuntur dissentientes, textus adfertur, §. 19.

Ad eundem respondetur, §. 20.

Nuda desponsatione Cura legitima non adquiritur, §. 21.

Dubium excitatur, §. 22.

Deciditur, §. 23. 24.

De origine istius Curæ, §. 25.

Hæc fusius deducitur, §. 26. 27. 28. 29.

Moribus Germaniæ à quibusd. tribuitur, §. 30

Quod improbatur, §. 31.

Objectum Curæ legitimæ, §. 32.

An uxor facto suo valeat marito præjudicare in judicio, §. 33.

De interventione Mariti, §. 34.

Cum cautione rati nomine uxorum in judiciis recte comparent mariti, § 35.

Sed actus majoris ponderis non possunt cum cautione rati exequi, §. 36.

Nec maritus, als Ehe-Voigt, *quæ speciale mandatum exposcunt, negotia valide tractat*, §. 37.

An res mobiles, aut immobiles, uxor citra mariti voluntatem alienare possit, §. 38.

Cum

Cum ipso marito absque alius Curatoris interventu nequit femina contrahere, §. 39.
Actus uxoris, qui nec consentiente marito subsistunt, recensentur, §. 40
Quo tempore consensus conjugalis interponendus, §. 41.
De actione à marito instituenda pro juribus Curæ maritalis conservandis, §. 42.
Quibus modis ea finiatur, §. 43.
An abroganda, §. 44.
Conclusio, §. 45.

§. I.

Cura maritalis est jus administrandi bona uxoris, atque in illius actus consentiendi, maritis ex tempore matrimonii legitime contracti JURE præsertim SAXONICO competens.

II. Dicitur quoque Cura legitima. Lex namque certis eam personis citra factum hominis immediate defert.

III. Unde nec Curatores legitimi, Eheliche Vormünder, ut ceteri, manu stipulata, den Handschlag, aut tactu baculi judicialis, mit Angelobung an den Gerichts-Stab, à magistratu sunt confirmandi.

IV. Per

IV. Per jus intelligitur hic facultas moralis, Gerechtigkeit, cui renunciari posse extra controversiam ponitur.

V. Competit Cura conjugalis solis maritis. Id quod luculenter patescit ex L. R. Lib. I. art. 31. verb.: Wann ein Mann ein Weib nimmt, &c. & ex L. R. Lib. 1. art. 45. verb.: Und obwohl ein Mann seinem Weib nicht eben bürdig wär. j. L. R. Lib. III. art. 45. verb.: Der Mann ist auch Vormund seines Weibs.

VI. Quamvis Jure Divino, 1. ac Justinianeo, 2. nomine mariti quandoque contineatur sponsus; Idem tamen Jure Saxonico contingere nullus evictum dabit.

VII. Nihil autem interest, mariti nobiles 3. sint, an plebeji, sui juris, an alieni.

VIII. Circa filiosfamil. in Saxonia casus fore rariores utique crediderim, cum hi post nuptias initas, vel etiam ante illas, Oeconomiam peculiarem

rem

1. Quo Sponsus nuncupatur Gener. *Gen. IX. v. 14.*

2. *L. 74. ff. de Jur. dot. L. 4. ff. de Fund. dot.* Carpz. *L. 5. Resp. 108. n. 2. 3.* Id. *L. 6. Resp. 62. n. 7.*

3. Nec Principibus maritis exceptis; eos enim legibus privatorum vivere non est inconveniens. Titius *Spec. Jur. Publ. Lib. 1. C. 1. §. 47. seq.*

rem utplurimum instituant, quo ipso si justæ ætatis 4. existant, à patria potestate liberantur.

IX. Neque maritis minoribus 5. Curam legitimam recte negatum ibis.

X. Non movet, quod minores, dum rebus suis superesse nequeunt, ipsimet auxilio Curatorum indigere noscantur.

XI. Nam connubiales constituuntur Curatores ipsa lege; Cui accedit, quod minorennibus maritis administratio rerum uxoriarum non demonstretur ademta.

XII. Interim cum hujusmodi Curatoribus securius contraxeris, si, cumprimis in rebus arduis, eos beneficio restitutionis in integrum præstito Juramento 6. hac formula: So wahr mir GOtt helffe und sein heiliges Wort, renunciare cures.

XIII. Nec perpetuis carceribus addicti mariti, nec relegati ob crimen, quod infamiam non importat, cura indigni conjugali sunt censendi.

B XIV.

4. *P. II. C. El. 10.* ibique Carpzov. *D. 1.*

5. Conf. B. Stryck. *Us. Mod. ad ff. Lib. 24. t. 7. §. 17.* utut ratio ibid. adducta non sit Juri Saxonico Electorali ex asse consentanea.

6. vid. *Auth. Sacramenta Pub. C. si adv. vend. & L. 1. C. d. t.* Berg. *Oec. I. Lib. 3. t. 15. §. 15. Not. 8.*

XIV. Hos quippe jura civitatis amittere legibus nostris cautum non invenies.

XV. At de maritis in perpetuum ad triremes, aut opus publicum damnatis, verius contrarium 7. pronunciabitur.

XVI. Nanciscitur maritus curam legitimam illico nuptiis Benedictione sacerdotali consummatis.

XVII. Hoc luce clarius cernere est ex L. R. L. III. art. 45. verb.: Der Mann ist auch Vormund seines Weibs zu Hand als sie ihm getrauet.

XVIII. Igitur falluntur, 8. qui eam demum post thori conjugalis ingressum marito adquiri sentiunt.

XIX. Propugnandæ huic opinioni frustra citatur L. R. L. I. art. 45. verb.: Und sie, das Weib, trit in sein, des Manns Recht, wenn sie in sein Bett trit.

XX. Locus modo adlatus de Jure successionis 9. accipiendus est, cum in Foro Saxonico ante thalami conscensionem 10. conjux superstes ad

7. ob *L. 8. §. 8. ff. de pœn. & L. 17. §. 1. ff. eod.*

8. e. gr. Carpz. *P. 11. C. El. 15. D. 19. n. 2.* Id. *L. 5. Resp. 42. n. 1.* Hopp. *Comm. ad I. p. 222.*

9. Zobel. *in Add. add. art. lit. b.*

10. Carpz. *Lib. 5. Resp. 108. n. 14.*

ad defuncti conjugis successionem non admittatur,

XXI. Porro hallucinari manifestum est illos, qui mulierem nuda desponsatione, Hierologia non accedente, in viri curam transire docent.

XXII. Neque facessit negotium, quod marito sponsam sibi desponsatam contra injurias illatas defendere 11. liceat,

XXIII. Siquidem Textus iste ex jure extraneo petitus est, non patrio.

XXIV. Atqui satis constat, Copulam Sacerdotalem, ut effectus matrimoniales consequantur conjuges, jure civili Romano non prærequiri, quoniam solus consensus nuptias facere eodem 12. adstruitur.

XXV. Nec Romanis olim, nec Græcis, 13. cura ignorabatur maritalis. In Germania Nostra 14. ex Legibus domesticis eam repetas oportet.

11. *L. 15. §. 24. ff. de injur.* cujus verba sunt hæc: Sponsam quoque ad injuriarum actionem admittendam puto; etenim spectat ad contumeliam ejus injuria, quæcunque sponsæ ejus fiat.

12. *L. 30. ff. de R. J.*

13. Schilt. *Ex 37. §. 225. & 229.*

14. Cura perpetua, in qua feminæ penes priscos

XXVI. Jure Saxonico Provinciali Lib. I. art. 31. conceptis verbis ſancitum legimus: Wann ein Mann ein Weib nimmt, ſo nimmt er ſie in ſein Gewer, und alles ihr Gut zu rechter Vormundſchafft. Cui addas Lib. I. art. 45. verb.: Und obwohl ein Mann &c. ſo iſt er doch ihr, der Frauen, Vormund. Et L. R. Lib. III. artic. 45. verb.: Der Mann iſt auch Vormund ſeines Weibs.

XXVII. Jus Saxonicum Electorale 15. ita diſponit: Gleicher Geſtalt ſoll auch den Weibs-Perſonen dasjenige, was ſie ohne Vorwiſſen und Auctorität ihrer ehelichen und anderer verordneten Vormunden in- und auſſerhalb Gerichts ſchlieſſen und handeln, damit ſie ſich gegen jemand verpflichten, unſchädlich und unnachtheilich ſeyn.

XXVIII. Nec ab his ſanctionibus abludit Deciſio Electoralis 16. Saxonica, verb.: Als aber unſere Verordnete ſolchen Zweiffel etwas reifflicher überlegt, und befunden, daß ein Eheweib mit

Germanos erant, curæ conjugali anſam dediſſe putatur. B. Stryck. *Uſ. Mod. ad ff. Lib. 27. t. 10. §. 4.*

15. *P. II. C. El. 15.*

16. *XXIV.*

mit Zuziehung ihres Ehelichen Vormundens gar wohl beständig handeln könne.

XXIX. Adhæc variis adhuc legibus localibus, 17. quas hic cunctas recensere fuerit nimis prolixum, Curam comprobari conjugalem novimus.

XXX. Non desunt, qui curam connubialem solummodo moribus Germaniæ natales debere perhibent.

XXXI. Enimvero ab his optimo jure divortium feceris. Nam si quis mores istos in civitate, quæ juribus Saxonicis non utitur, usu servari in contradictorio judicio constanter abnuat, quin adserens defungi probatione teneatur, prorsus non ambigo.

XXXII. Refertur Cura legitima cum ad actus judiciales, tum ad extrajudiciales.

XXXIII. In judiciis mulier nupta absque consensu mariti, tanquam Curatoris connubialis, negotium eidem futurum damno nulliter 18. peragit.

 XXXIV.

17. Veluti Lubecensibus. Mev. *ad Jus Lubec. Lib. 1. t. 10. art. 3. n. 8.* & Hamburgensibus *P. 1. t. 9. art. 5.* verb.: **Der Frauen Vormund ist ihr Ehemann so lang er lebet.**

18. Facit huc adprime *L. 9. C. d. R. V.* ibique B. Brun-

XXXIV. Neque maritus, si rem suam agi cognoverit, in qualibet Processus parte intervenire 19. prohibebitur.

XXXV. Ex adverso maritis possessionatis 20. absque mandato cum cautione rati 21. sub hypotheca bonorum 22. actu corporali præstanda,

nomine

nem. *n.5.* quo bene monet, sententiam contra uxorem latam marito minus obesse.

19. Eapropter Curia Prov. quæ Lipsiæ floret, ad Prætorium Lipsiense M. April. anno 1718. rescripsit his verbis: Wir haben euren eingeschickten Bericht samt denen in 2. Vol. sub A. und B hierbey zurück kommenden Acten / die von N. fol. 6. Act. sub B. eingewante Appellation betreffende / verlesen. Nun tragen wir zwar derselben zu deferiren Bedencken / befehlen aber an statt &c. euch hiermit / ihr wollet die Partheyen mit ihrer Nothdurfft gegen einander hören / und sodann darüber erkennen lassen.

20. B. Riv. t. 7. Enunc. 12. Id. t. 8. Enunc. 13. ubi judicatum: Daß Beklagter vor allen Dingen / daß sein Principal mit unbeweglichen Gütern angesessen, beyzubringen / oder / wegen dessen Eheweibes, sich gebührend zu legitimiren schuldig.

21. Circa eam non æque, sed pronunc. Daß vor allen Dingen N. cautionem rati sub hypotheca bonorum anzugeloben / und zu denen Acten registriren zu lassen schuldig.

22. Cautio juratoria hic exulat. Carpz. *L.3. Resp.72.* *num.13.*

image
not
available

cum cautione rati, 27. multo minus sola Cura conjugali subnixus, nisi lege peculiari 28. sit aliud constitutum, exequi maritus valebit.

XXXVII.

tentiam sustineri *Ord. Proc. Sax. recognitæ*, verb.: Der Ehemann soll zwar / wenn er zuförderst Cautionem rati würcklich bestellet / einen Anwald zu bestellen befugt / keinesweges aber das Eheweib / nebst dem Ehemann / da er auch gleich angezogene Cautionem bestellen würde / ohne besondern Curatorio diejenigen Actus, welche ein special Mandatum erfordern / zu expediren berechtiget seyn.

27. Huic locus est tantum in causis, quæ sunt generalis mandati. Carpz. *Proc. t. 5. art. 6. n. 67.* Hinc neque maritum cum cautione rati nomine uxoris actionem injuriarum propter hujus odium, & incertitudinem ad animum, movere posse, statuunt B. Riv. *c. l. Enunc. 12.* & Menck. *Disp. Proc. 5. t. 7. §. 10.*

28. e. gr. statuto Budissino *P. 2. t. 8.* maritus ipso contracti matrimonii momento evadit Curator legitimus, hoc effectu, ut etiam actus, qui speciale mandatum requirunt, tractare, præterea Jusjurandum uxoris nomine præstare possit. Der Mann bekommt das plenum & perfectum dominium über alle seines Eheweibes Güthere / darff also nicht allererst zu dero Curatorn specialiter bestätiget werden / sondern er mag bey allen und jeden vorfallenden Angelegenheiten hier und anderwärts vor sein Eheweib absque speciali Curatorio und Cautione rati erscheinen / und beständig agiren / auch sogar ihrentwegen Eyde leisten und schweren.

XXXVII. Magnopere disceptatur: An maritus, als Ehevoigt, sine legitimatione ulteriore nomina uxoris in judicio exigere, solutionem à debitoribus recipere, eosque ab obligatione liberare possit. Ajunt aliqui. 29. Rectius negaveris. 30.

29. v. c. Dnn. Scabini Lipf. prouti liquet ex eorum Responso, verbis: D. a. d. die Ehemänner nomine proprio, als legitimi administratores, und wegen des ihnen aus ihrer Weiber Vermögen gehörigen Nießbrauchs, allerdings deroselben aussenstehenden Schulden einzutreiben berechtiget/ und wenn sie als Ehe-Voigte klagen/ keiner fernerweitigen Legitimation vonnöthen haben ꝛc. So möchtet ihr euch wider die angeordnete Execution, wann ihr in continenti die an der Klägerin Ehemann erfolgte Zahlung, durch dessen unlaugbare Quittungen, oder des Weibs gerichtliche Geständniß/ erweißlich machet/ gar wohl schützen. V. R. W. Ad eundem plane modum responderunt iidem M. Mart. 1697. verbis: Im übrigen ein Ehe-Mann/ als legitimus Administrator seines Weibes Vermögens/ Gelder einzuheben/ und darüber zu quittiren berechtiget ist. Conf. *B.* Riv. *ad t. 8. Enunc. 14.*

30. Etenim receptio pecuniæ atque liberatio à debito sunt actus majoris momenti *L. 11. & 12. C. de solut.* quos administrator totorum bonorum, cujusmodi est in Saxonia maritus, nec Jure Civili *L. 63. ff. de Proc.* nec Canonico *c. 4. de Proc. 6.* nec nostro, Wernh. *P. 1. O. 216. n. 77.*

XXXVIII. Quod ad actus extra judicium nota: Uxorem nec bona mobilia, 31. licet sint geradica, 32. nec immobilia, 33. posse sine mariti con-

nisi sit speciali mandato instructus, celebrare valet; adde quod nec debitor extra periculum sit, qui tutoribus, vel Curatoribus, sine decreto magistratus solvit. §. 2. *J. Quib. alien. lic. vel non.* jung. *L. 25. C. d. adm. tut.* Negantibus adstipulantur Senatus Prov. Dresd. & Fac. Jurid. Lips. au-ctore B. Riv. *c. l.* Proinde sic habendum: **Es kan der Mann der Frauen Schulden zwar ausklagen / aber nicht einheben / noch darüber quittiren /** sed per Procuratorem ab uxore cum Curatore constitutum id fieri debet, nec ab uxore ipsa cum marito subscripta apocha sufficit, nisi maritus sit uxoris Curator Judicialis. Barth. *Hodeg. For. C. 1. §. 28. lit. b.*

31. In bonis mobilibus Jure Saxonico maritus habet in vita uxoris usumfructum. **L. R.** *Lib. 1. art. 31.* Carpz. *L. 6. Resp. 51. n. 14.* & post hujus obitum, antegressa thalami conscensione, indubitatam successionem **L. R.** *Lib. 3. art. 76.* verbis: **Stirbt das Weib / der Mann behält alle des Weibes fahrende Haab.** Similiter *P. III. C. El. 22.* verbis: **Wo es sich zutrüge / daß die Frau vor dem Mann mit Tode abgienge / so soll solches Geschencke / weil dem Mann nach Sachsen-Recht die Fahrnüß gebühret / demselbigen allein folgen.**

32. In rebus geradicis marito usus fructus itidem debetur. jung. Berg. *Oec. J. Lib. II. t. 3. §. 19. Not. 13.* alicubi quoque v. c. Lipsiæ ex statuto *art. 35.* verbis: **Wann einem Mann sein Eheweib stirbet / und keine Tochter**

consensu alienare, nec conditionem ejus ulla ratione deteriorem 34. reddere.

hinterlässet / so soll solches Weibes volle Gerade ungeachtet dero Mutter / oder ander Nifftel in auffsteigender oder Seit-wertiger Linie annoch vorhanden / auf dero überlebenden Ehemann fallen / und er dieselbe ohne Wiederrede behalten / hiervon auch einige Nifftel-Gerade auszuantworten keinesweges schuldig seyn.
Maritus in res geradicas succedit.

33. Vid. L. R. *Lib. 1. art. 31.* verbis: Kein Weib mag auch ihres Guts ichts vergeben ohne ihres Mannes Willen / & L. R. *Lib. 1. art. 45.* verbis: Ein Weib mag auch ohne ihres Mannes Urlaub ihr Gut nicht vergeben / noch ihr eigen verkauffen. Carpz. *P. II. C. El. 15. D. 25. n. 5. seq.* Nec hic distingvas inter bona allodialia & feudalia. B. Struv. *S. J. F. C. 5. aph. 3. n. 1.* Nec refert, utrum alienatio fiat in causam piam, an in liberos. Neque separatione à thoro & mensa subsecuta, ob perseverans connubii vinculum, marito contradicente, uxori res suas distrahere licitum erit, nisi inopia alimentorum coactæ. Carpz. *L. 5. Resp. 24. n. 12. seq.* Quod si bona sint receptitia, tum horum venditionem absque consensu maritali subsistere, dubio caret. Imo mortuo marito, alienatio bonorum immobilium deinceps convalidabitur.

34. Uxor ergo sine voluntate mariti nec fidejubere, nec hereditati delatæ renunciare, nec pecuniam in emtionem bonorum immobilium impendere. Wernher. *P. II. O. 455.* Nec propter debita uxoris in bona, quibus

XXXIX. Quoties cum ipso marito, 35. vel in ejus utilitatem 36. uxor contrahit, alius Curatoris consensum intervenire est necessitatis.

XL. Femina nupta sine Curatore conjugali testari, 37. res oeconomicas obire,

utitur fruitur conjux, executio fieri poterit. Alteri enim per alterum iniquam inferri conditionem justum non est. *L. 74. ff. de R. J.*

35. Maritus in rem suam auctor fieri nequit §. 3. *J. de auct. tut.* & *L. 1. pr. ff. eod.* Cum suo potius, quam uxoris emolumento, studere præsumatur.

36. Quo nomine nec fundum dotalem. Carpz. *P. II. C. El. 15. D. 21. n. 4. seq.* nec aliud bonum immobile vendere uxori cum solo marito integrum est, eo fine, ut hic in pecuniam inde redactam ceu heres mobiliaris succedat. *Dec. El. 24.* ibique Phil. *O. 6.* Neque uxor solius mariti consensu hereditatem maternam valide cum Patre dividit. Berg. *Oec. Jur. Lib. I. t. 4. §. 6. Not. 3.* Denique nec contractus emtionis venditionis super gerada cum marito initus valet, nisi Curator specialis consenserit. Carpz. *P. II. C. El. 13. D. 5.*

37. *C. El. 15. P. II.* verbis: **Jedoch mögen Ehefrauen &c. vor sich selbst &c. wohl Testament machen, und was sie also Testaments-weise den Rechten gemäß verordnen, das soll beständig und kräfftig seyn, obgleich dasselbe ohne Vormunden geschehen.** Rationem petas ex *L. 32. pr. ff. de her. inst.* dummodo Testamentum non lædat successionem mariti mobiliarem, sive portionem statutariam, *P. III. C. El. 7.* verbis: **Wie denn**

re, 38. Si mercatrix sit, intuitu mercaturæ 39. libere negotiari, Curatorem non maritum 40. sibi

auch gleicher Gestalt hinwiederum dem Weibe nicht nachgelassen wird / dasjenige / was dem überlebenden Ehemann aus ihren Gütern zustehet / durch ein Testament oder andern letzten Willen zu vermindern. Quod enim lege datum est lucrum, nemini regulariter auferri potest. Carpz. *add. C. El. 7. D. 3. n. 1.*

38. Quantum ad res œconomicas, consensus mariti ex circumstantiis, quæ hic intercurrunt, colligitur, nisi is tempestive contrariam declararit voluntatem. Per res œconomicas intelligunt quotidianas familiæ necessitates v. c. quæ ad victum & amictum pertinent, inita ratione dignitatis & facultatum mariti arbitratu boni viri. Berg. *E. D. F. t. 8. O. 6. Not. 2. & 3.*

39. Vid. L. W. O. Nachdem. *n. 2.* verbis: Daß auch wider Weibes-Personen / welche Kauffmannschafft treiben / nach dem Wechsel-Stylo zu verfahren. ibique Kœnig. jung. Carpzov. *P. II. C. El. 15. D. 16.* quod utilitas commerciorum introduxit. Dicitur vero mulier mercatrix, quæ nomine proprio mercatur, non perinde uxor mercatoris, quæ sicuti ministra mariti vendit, ejusque periculo contrahit. Menck. *Disp. Proc. 6. t. 8. §. 2.*

40. Nullam excitabis legem, qua ad maritum Curatorem sibi constituendum adstringatur uxor. Itaque Curatoris extranei constitutio generi permissorum merito accensenda. Nec exinde metuendum aliquid detrimenti marito, cum is maneat Curator legitimus. Fuerit quoque periniquum, uxorem in negotiis suis consilio al-

in judicio expetere, itemque fatalia, 41. quæ circa Processum judiciarium obveniunt, observare non vetatur.

XLI. Consensus conjugalis tutissime in ipso actu 42. adhibetur. Supervenientem tamen mariti ratihabitionem 43. usu Fori haud negligi, multi 44. contendunt.

XLII.

terius Curatoris, qui magis habilis sit, quam maritus, uti non posse. Berg. *d. l. O. 5. Not. 5.*

41. Fatalia lentas moras respuunt; nec possunt quævis prorogari. Idcirco uxorem absque marito hac parte rerum suarum satagere rationis est. add. B. Riv. *t. 8. Enunc. I.* & Berg. *c. l. O. 2.*

42. Propter *Const. El. 15. P. II.* verbis: Soll den Weibes-Persohnen dasjenige, was sie ohne Vorwissen und Autorität ihrer ehelichen und anderer Vormunden inn- und ausserhalb Gerichts schliessen 2c. unschädlich und unnachtheilig seyn 2c. Ex quibus verbis elucet, consensum Curatoris legitimi ad contractum uxoris pro forma essentiali desiderari. Atque hæc cum sit individua, nec per æquipollens implenda, nullatenus potest ab actu perficiendo separari. Neque à tutore, qui statim in ipso negotio præsens debet autor fieri §. *3. J. d. auct. tut.* jung. *L. 9.* §. *5. ff. eod.* ad curatorem perperam arguere, videtur Carpzov. *add. C. El D. 30. n. 6.*

43. *L. f. C. ad SCt. Mac.* qua ratihabitio retrotrahi, & confirmare ea, quæ ab initio subsecuta sunt, adseritur.

44. Inter quos quoque sunt B. Riv. *t. 8. Enunc. 38.*

XLII. Ad Jura Curæ maritalis defendenda datur marito condictio 45. ex Lege Germanica, seu imploratio officii Judicis. Interdictum uti possidetis 46. hic suum etiam usum præbebit.

XLIII. Hæc Cura desinit vel in perpetuum, morte naturali & civili, 47. vel ad certum tempus, ut puta cum uxor actum in sui dispendium à marito gestum constante matrimonio ob justas causas 48. impugnat.

XLIV.

Menck. *Disp. Proc. 6. t. 8.* §. *9.* & Wernh. *P. 1. O. 261. num. 3.* quo tradit: Quæ Jure Romano de auctoritate tutorum in negotiis pupillaribus sancita sunt, ad Curatores mulierum accommodari non posse. Quæsitum memini, si maritus in negotium uxoris consentire nolit, an invitus cogi queat? Quod negandum existimem argumento à tutore ducto *L. 17. ff. d. auct. tut.* attamen in re uxori notorie utili defectum mariti magistratus supplebit.

45. In qua probare reus compellitur, non actor, cum pro hoc militet præsumtio. Poterit quoque maritus agere ad rem reddendam, si mobilis, vel ad usumfructum concedendum, sin immobilis absque ipsius præscitu sit ab uxore alienata.

46. Sive ordinarium, sive summarium, pro indole possessionis antiquioris ac momentaneæ.

47. v. c. Banno universali sive Imperii, & provinciali. A Principe S. T. habente restitutus plene maritus recipit Curam uxoris.

48. e. g. si revocet uxor fundum dotalem à marito

XLIV. De Cura Sexus penitus abolenda consilia quondam in Comitiis Electoratus Saxonici Provincialibus 49. fuisse agitata, notum est. Unde disquiri posset, an Cura quoque legitima foret abroganda. At vero cum ex re maritorum sit, uxoribus promiscuam circa res suas administrandas libertatem non relinqui, quæstio hæc omnino negative decidenda erit.

XLV. Hæc de Cura conjugali in compendio adnotasse in præsens suffecerit. Plura, eaque cultiora, longior forsan, si DEUS voluerit, vita dabit.

alienatum, postquam bonis ille cessit. Wernh. *P. II. O. 386.* Quo casu consensus mariti non est necessarius, cum ipsi contravenire facto proprio non concedatur, *arg. L. 14. C. de R. V.*

49. Anno 1699. institutis. Berg. *E. D. F. t. 8. Obs. 1. Not. 2.*

SOLI DEO GLORIA.

VA1 1520784-